



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. V. De Consensu clandestino secundum quid.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

rumque ignoratur, quinam sint testes omni exceptione majores. Proinde possunt esse testes in casu nostro, etiam Fœminæ, Parentes, Infames, excommunicati, Infideles, Inviti, ac Repugnantes; dummodo habeant usum rationis, & percipiant quid agitur, ita ut possint illud postea testari. Suppleret enim defectum testimonii auctoritas Parochi.

XIV. Rogabis hic; Si revalidandum sit matrimonium privatim sine Parocho, & testibus, propter impedimentum occultum, quod probari non possit per duos testes omni exceptione majores, juxta dicta num. 7., quinam consensus requiritur? Et num debeat utrique conjugum cognitum esse impedimentum dirimens, & invaliditas matrimonii contracti, ut possit revalidari?

Respondeo, in tali casu curandum esse, ut uterque conjux ponat consensum absolutum, cum non sufficiat conditionatum. Unde non sufficit, quod alter dicat; Si non nupsissem tecum, ita te diligo, ut tecum nubere; sed uterque dicere debet: Volo tecum nubere, etiam si hætenus non nupsissem, aut forte invalide nupsissem, ut notat Sanch. lib. 2. disp. 35. Quando autem periculum est, quod conjux ignarus impedimenti, ac nullitatis matrimonii nollit illud convalidare, ex quo scandalum oriretur, præsertim si adesset proles, non est necesse, ut illi impedimentum, & nullitas matrimonii detegatur. Neque obstat, quod consensus, qui de novo poneretur, procederet ex errore, & ignorantia illius nullitatis, & quod nollit ille contrahere iterum, si notitiam haberet talis nullitatis. Nam hic error non esset circa substantiam Matrimonii, seu circa personam, sed circa qualitates, cum sit solum error juris, quatenus ille putat, se matrimonio ligatum, cum non

sit; Consensus autem procedens ex errore circa qualitates sufficit ad valorem matrimonii. Sic qui contrahit cum Berta, quam credit ditissimam, cum sit pauperrima, valide contrahit, quamvis non contraxisset, si nota fuisset talis paupertas.

Quando tamen, nec infamia, nec scandalum, aut quid simile sequeretur, si detegeretur utrique conjugum nullitas præteriti matrimonii, utique detegenda esset, ut docent communius apud eundem Sanch. lib. 2. disp. 36.

ARTICULUS V.

De Consensu clandestino secundum quid.

- I. *Peccat graviter, qui sine Episcopi dispensatione, omissis denunciationibus contrahit matrimonium. Sed hoc non est invalidum.*
- II. *Quas ob causas omitti possunt denunciationes?*
- III. *Impedimentum occultum revelandum est, quamvis probari non possit.*
- IV. *Contrahentes, qui aliquo impedimento occulto laborant, vel tenentur desistere a matrimonio, vel illud, etiam cum propria infamia, revelare, si alter desistere nolit.*
- V. *Si habens impedimentum occultum sine magno scandalo desistere non possit, quid faciat?*
- VI. *Omittere benedictionem nuptialem ante consummationem matrimonii, num sit mortale; aut saltem veniale?*

I. **N**otavimus articulo super. dici consensum secundum quid clandestinum, quando habetur contractus matrimonialis absque præviis proclamationibus.

Quæritur nunc primo; An sit in-

N 2 va-

validum matrimonium, si denunciations omittantur, seu si sit clandestinum secundum quid?

Respondeo negative; Ex Tridentino enim solus defectus Parochi, & restium reddunt matrimonium invalidum; Quare dum Concilium jubet, ut Parochus assistat matrimonio, præmissis proclamationibus, præcipit ea, quæ ad licite, non ad valide agendum requiruntur; Sicuti quando præcipitur, ut excommunicatio feratur in scriptis, & præmissa trina monitione: Hæc enim spectant ad accidentalem, non ad substantialem formam actus.

Oppones Regulam 64. juris in 6., ubi habetur, quod quæ contra jus fiunt, debeant utique pro infectis haberi; atqui matrimonium, non præmissis proclamationibus, est contra jus: ergo habendum pro infecto, & irrito.

Respondeo, regulam illam intelligi, ut factum contra legem habeatur pro non factio, quando lex statuit formam substantialem actus, non vero quando formam accidentariam; & quando solum præscribit modum, ut recte fiat. Adde, esse speciale in favorem matrimonii, quod ex simplici prohibitione, absque clausula irritante, illud non irritetur; ex decisione Rotæ apud Perez disp. 43. sect. 2.

Hinc sequitur, denunciations in utraque contrahentis Parochia omitti non posse sine peccato mortali; cum res ista sit gravis, ut communiter docent contra Sot., qui putat per se loquendo esse tantum veniale. Potest tamen in hac lege aliquando, ut supra diximus, dispensare Ordinarius, videlicet Episcopus, immo etiam Vicarius Generalis: Quamvis enim verum sit, quod refert. Rebell., Papam dixisse, quoad hoc nomine Ordinarii intelligi Episcopum, non idcirco excludendus est Vicarius Generalis; quia pro ea-

dem persona cum Episcopo habetur, & unum cum illo tribunal constat: Sicuti nec excluditur ille, qui, quamvis non sit Episcopus, jurisdictionem tamen habet Episcopalem annexam suæ dignitati.

Neque dicas: Episcopus potest denegare Vicario potestatem dispensandi in proclamationibus, ut fatetur Sanch. lib. 3. disp. 7. ergo non est concessa Vicario Generali talis potestas a Trident., cum inferior nihil possit contra legem Superioris; sicuti neque potest Episcopus tollere a Parocho potestatem assistendi matrimonio, aut dandi alteri Sacerdoti licentiam assistendi; cum hanc potestatem habeat Parochus a Trident.

Nam respondeo, quod sicut potest Episcopus totum officium Vicarii, non vero Parochi revocare, ita potest partem hanc officii Vicarii revocare, unde potest sibi uni potestatem hanc reservare.

II. Rogabis: Quænam sint causæ, ob quas possit Episcopus in proclamationibus dispensare?

Respondeo cum communi apud Con., & Perez, eas esse; Primo si alias timeatur matrimonium malitiose impediendum; Secundo si ex proclamationibus oriatur scandalum; Verbi gratia, si sponsi vivant in concubinato, & jam publice putantur esse conjuges; Tertio, quando vir est in articulo mortis, & vult ducere suam concubinam, vel ad legitimandam prolem, vel ad salutem animæ suæ; Quarto, quando nimio pudore suffunderentur Sponsi ex denunciationibus; ut si ambo sint senes, vel si senex juvenulam, aut nobilis ignobilem, vel dives pauperem ducat; Talis enim verecundia, quæ ex publicatione matrimonii oriretur, videtur sufficiens causa, ut dispensetur in denunciationibus, ut docet Sanch. lib. 3. disp. 9. cum aliis; Quinto si inflet tempus

Qua-

Quadragesimæ, aut Adventus, unde non possint omnes denunciationes præmitti; Sexto, si Magnates velint repente, & occulte contrahere; celsat enim in hoc casu finis denunciationum; cum enim Magnates sint valde noti, facile sciretur impedimentum, si quod esset. Ex quo infert Perez, quod universim possit in denunciationibus dispensari, quando abest timor alicujus impedimenti, ob quamcumque notabilem commoditatem contrahentium sive spirituales, sive temporales.

Si tamen Episcopus, existente iusta, & urgente causa, nolit dispensare, sicut tenetur, poterunt tunc conjuges contrahere, non præmissis denunciationibus. Ratio est, quia præceptum Ecclesiasticum præmittendi denunciationes non obligat cum gravi incommodo, quale esset, si duo illi Sponsi deberent semper remanere cœlibes, aut si deberent exponere se periculo fornicationis: Immo possent etiam contrahere, non præmissis denunciationibus, quando consuli non potest Ordinarius, & probabiliter judicatur, quod propter necessitatem urgentem non sit obligatio illas præmittendi. Ratio est, quia gravissimum onus imponeretur hominibus, si nunquam liceret uti Epicheja ex iudicio probabili, quando non patet aditus ad Superiorem.

Notandum tamen, quod quando ex legitima causa non præmittuntur proclamationes, debent postea fieri ante consummationem matrimonii ex Trident. (nisi tamen aperte constet, nullum esse impedimenti periculum,) ne contingat, copulam esse fornicariam.

Circa tempus, & locum proclamationum, Concilium vult faciendas a Parocho tribus diebus continuis festivis in Ecclesia inter Missarum solemnias. Verum Bonac. attendens ad finem

Concilio putat, posse fieri extra Ecclesiam, ubi magna multitudo convenit, etiam si die non festivo, vel inter concionandum ab ipso concionatore de licentia Parochi.

III. Quæritur secundo; An sit obligatio revelandi impedimenta matrimonii occulta, quæ probari non possunt?

Respondeo cum communi contra Pont. lib. 5. cap. 34. affirmative; dummodo absque gravi incommodo, & absque aliorum scandalo revelari possint; præmissa tamen correctione fraterna, si ex ea fructus speretur. Ratio est, quia in hoc casu non agitur de peccato probando, aut de pœna infligenda, sed de peccato vitando (quod scilicet sequeretur, si invalide cum impedimento dirimente Sponsi contraherent) Unde ad peccatum hoc vitandum, satis est testimonium unius, vel sola fama de impedimento. Ex cap. *super eo*, *De testibus*, ut diximus quæst. 2. art. 7. de Sponsalibus: ergo quilibet tenetur manifestare impedimentum, etiam si ex delicto occulto ortum, etiam si illud sub secreto acceperit (dummodo acceperit a personis fide dignis,) & etiam si juraverit, se non manifestaturum: Juramentum enim non est vinculum iniquitatis; unde non potest obligare ad non obediendum præcepto Superioris, quod est directum ad vitandum peccatum proximi: Neque obligat secretum, ut docet Perez disp. 43. sect. 6., Con. num. 16., & alii apud Mendo in Epitome V. *Secretum*; Et ratio est, quia prævalet secreto reverentia Sacramento debita, & bonum salutis contrahentium: Neque demum obligat fama, quia si præmissa correctione fraterna, nolunt Sponsi a matrimonio desistere, tibi imputent, quod in iis angustiis versentur, ut debeant infamari. Probabile tamen est, ut docet Perez loc. cit., quod si con-

contrahentes sint in bona fide, & impedimentum est occultum, ita ut probari nunquam possit, non sit obligatio illud manifestandi, si id commode fieri non possit; tum quia in tali casu nullum daretur peccatum, quod deberet vitari, nisi tantum materiale; tum etiam, quia, si impedimentum esset affinitatis, non potest probari unico teste *ex cap. Licet De Testibus*.

IV. Adde, ex vi denunciationis teneri ipsos contrahentes, vel desistere a nuptiis, vel fateri impedimentum quantumcumque occultum, & cum propria infamia conjunctum, ut notat Con., & Perez ex Sanc. lib. 3. disp. 14. Ratio est, quia quamvis nemo, etiamsi interrogatus sub juramento, teneatur fateri crimen suum, quando proceditur ad punitionem, nisi praecedat semiplena probatio; Cum nemo possit esse primus testis contra seipsum; Nihilominus, quando Judex procedit, non ad punitionem, sed ad cognitionem impedimenti ad matrimonium, vel ad Ordines suscipiendos, quia solum procedit ad vitandum peccatum, debent ipsi etiam Rei, etiam cum propria infamia, illud manifestare, nisi velint infamiam vitare, cessando a matrimonio, vel a susceptione Ordinis. Cum hoc tamen simul verum est, ut docet Pont. apud Perez, quod si Sacerdos aliquis, verbi gratia ex diversis foeminis susceperit masculum, & foeminam, qui bona fide velint contrahere matrimonium, non teneatur cum propria infamia manifestare impedimentum consanguinitatis; quia cum contrahant bona fide, ex occultatione impedimenti nullum sequeretur peccatum, nisi materiale: Secus accidit, si contrahant mala fide, & praemissa correctione nolint a nuptiis desistere.

Dices: Si duo Sponsi petant publice suscipere Sacramentum matrimonii, non possunt publice repellere a Pa-

rocho, qui privatim scit, illos in mortali contracturos: ergo neque possunt repellere ob impedimentum occultum; atque adeo impedimentum occultum non est manifestandum. Antecedens patet; Nam Christus Dominus dedit Eucharistiam Judae, quem sciebat indigne illam suscipere, & maluit projicere Margaritam ante porcum, quam illius famam denigrare; ergo universim non debet detegi crimen occultum ad vitandam susceptionem indignam Sacramenti.

Respondeo, concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in primo casu agitur de vitando uno tantum peccato indigne susceptionis Sacramenti: in secundo casu agitur de vitandis innumeris peccatis fornicationis, quae sequerentur, si cum illo impedimento occulto dirimente contraheretur matrimonium. Adde, desudare Doctores apud Con. quaest. 80. de Sacram. art. 6. in indaganda veritate antecedente; Communiter tamen docent, id verum esse, quia ea lege instituit Christus Dominus Sacramenta, ut non debeant ab iis repellere peccatores occulti; tum quia aliter sequeretur magna perturbatio, & multi injuste ditamarentur ob imprudentiam, & scrupulam Ministrorum; tum etiam, quia si manifestentur peccatores occulti, ne indigne suscipiant Sacramentum, vitatur quidem indigna susceptio Sacramenti, seu peccatum externum, sed non vitatur peccatum internum eorum, qui etiam statuerunt in corde suo, Sacramentum in mortali suscipere: At in secundo casu vitantur innumera peccata fornicationis, & perseverantia contrahentium in statu peccati mortalis; unde nihil mirum, si famae etiam propriae prevalere debeat bonum hoc spirituale proximi.

Ubi etiam notandum, quod si quis velit, exempli gratia, Eucharistiam

inscipere, ut ea in maleficiis abutatur, non debeat illi ministrari, si occulte tantum, sed non ex confessione Sacramentali peccatum hoc a ministro cognoscatur; quia in tali casu fama proximi prevalere debet externa reverentia Christo debita; Unde non debet Sacerdos tali peccato cooperari ministrando illi Eucharistiam, ne occultum hunc peccatorem infamet, juxta doctrinam communem Doctorum.

V. Queritur tertio; Quid faciendum, si contrahentes agnoscentes impedimentum, non possent sine magno scandalo a matrimonio desistere?

Respondeo ex Pont., & aliis apud Perez, posse Sponfos matrimonium contrahere sub conditione, si Papa dispenset; Probabile enim est, matrimonium sub conditione contractum non esse deinde repetendum, purificata conditione; & interim possunt in eadem domo habitare; Et quamvis exponant se periculo fornicationis, excusantur tamen ex occurrentia ingentis scandali; unde possunt, & debent alia via periculo fornicationis occurrere, videlicet orationibus, & poenitentia.

Verum præstat, quod vir faciat votum castitatis ad tempus, videlicet donec veniat dispensatio ab illo impedimento, & deinde publicet se habere votum castitatis: (præscindendo, an illud fuerit ad tempus, an vero perpetuum, ne petatur ab Episcopo dispensatio) unde debeat a Pontifice dispensationem expectare, & interim velle tantum, sicut potest, contrahere sub conditione, quod Papa dispenset; sic enim nec teneretur, nec posset cohabitare.

VI. Queritur ultimo; Sitne mortale omittere benedictionem nuptialem ante consummationem matrimonii?

Respondeo cum communi contra nonnullos apud Sanch. lib. 7. disp. 82., & lib. 3. disp. 12., neque esse peccatum mortale consummare matrimonium ante talem benedictionem, neque esse peccatum mortale illam simpliciter omittere, nisi ex contemptu, aut scandalo omittatur. Ratio est, quia non videtur esse res gravis, nec valde congruens progressui matrimonii; Etenim benedictio nuptialis non est Sacramentum, sed quoddam sacramentale, nec tanti momenti, quanti Sacramentalia, quæ Baptismo præmittuntur. Quamvis autem non vacet culpa veniali, illam simpliciter omittere sine ulla causa contra usum, & consuetudinem Ecclesiæ; nihilominus probabile est, nullam esse culpam ex justa causa, videlicet ratione temporis feriat in Adventu, aut Quadragesima, consummare matrimonium ante benedictionem Ecclesiæ; Cum videatur, esse consilium, non præceptum, illam præmittere: Dicit enim Trident. sess. 24. *Hortatur Sancta Synodus, ut conjuges, ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent*; quod verbum *Hortatur*, videtur significare consilium, ut notat Sanch. Notandum præterea, secundas nuptias non esse iterum benedicendas, quia solemnnes Ecclesiæ benedictiones non debent bis iisdem rebus conferri ex cap. *Vir 3. De secundis nuptiis*, etiamsi alter tantum conjugum secundo nubat; Quamvis multis in locis ex consuetudine soleant benedici secundæ nuptiæ, quando alter primo nubit, & alter est viduus, ut Sanch. lib. 7. disp. 82.

ARTICULUS VI.

De Consensu conditionato.

I. In quo differant conditio, demonstratio,